

III.  
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 60.

*De Aequilibrio etiam Culturæ (Illuminationis)*

D I S S E R T A T I O.

Non natales, verum merita —

*Exper C. I.*

Elysium-Meum.-Die Veneris 1 Sept. 1809. (Nov. 15. Aug. 1809.)

**A**nimus fert secundum Seculi XIX genium sermonem ducere; de æquilibrio politico nuper admodum egimus; age: *de æquilibrio quod Culturæ audit*, meditationem instituamus: A politico æquilibrio perpetua pax expectatur, ab æquilibrio Culturæ pendet dominium rationis & juris; tam inter singulares homines, quam etiam Status. Si quilibet in sua sphaera ipse cogitat, si omnis de Juribus obligationibusque suis edoctus est, & si quisque omnia agere paratus, quæ secundum rationem sibi licent, tum omnis oppressionis finis est. Nemo ab altero prætereundum, quod justitiæ dissonum, nemo audet cum periculo aliorum tacere, quod non communis modo contentus eum manet, sed & expletioni cupiditatum & affectuum ejus per omnium renitentiam frænum injicitur.

Quod imbecillum est, forte redditur, ut primum ratio generi humano prædominari coepit, cum vero nemo adeo potens est, ut alios oppri-

mendo sit, quoniam tanta virium quantitate caret, ut de subjiendo alios cogitare audeat, ideo quilibet intra Juris cancellos se continet, nemo agit quod Juribus salutique universorum adversatur. In his adjunctis omnis semet excolere nititur, solerter scientias sectatur, sphæram cognitionis suæ augere conatur, probe callens: Culturam, quam sibi procurat, medium esse adversus quamvis oppressionem. Nullum medium negligit ad finem suum adipiscendum, Idem omnes agunt, & hæc ratione oritur æquilibrium Culturæ in omni Classe Incolarum alicujus Status, quemvis ab oppressione & subjugatione protegens.

Verum æquilibrium Culturæ in aliqua Civitate non modo oppressionem arcet, sed & litigandi pruritu obicem ponit. Quivis scit novitque sua Jura, quid sibi liceat, & abstinere violare Jura alterius, intelligens nullum per id se habere emolumentum. Periculo amittendi existimationem, bona fortunæ attenuandi, & notam rixosi incurrendi semet obicit. Dum æquilibrium Culturæ in Civitate obtinet, dum primum finis Civitatis — dominium æquiformis Justitiæ — obtinetur. Incassum is a sola bene ordinata *Constitutione* expectatur; hæc quidam confert, at usque non quilibet perspicit: quid a natura & secundum libertatem sibi debeatur; & quousque ejus voluntas per principium Juris recte non fuerit, continuo periculum subest: politicam alicujus Status libertatem jacturam pati & servitatem ei succedere posse. Con-

tra: si omnes pro ratione virium, & in ratione status, quem in civili societate sustinent, mentes cultæ fuerint, tum continuo quilibet vi tanta pollet, qua quævis Injuriam retundere paratus est, omnes sibi mutuo perspicaciam, & audaciam cuius resistendi minantur, & omnes pugnam intermittunt, partim ex veneratione Juris, partim metu maiorum, quæ eos necessario manerent, quo fit: ut æquilibrium hoc politicum commoda largiatur, quorum felicia consecutaria ad omnes se extendant, & quæ nullo ense impetrari possunt.

Quem effectum æquilibrium Culturæ inter singulares homines, & in Civitate producit, eundem id inter Status ipsos generat. Omnes Status eadem pollet perspicacia iisdem viribus, & eadem potentia illa freti. Eadem hæc subsidia ad sui consistentiam & libertatem quodvis bellum adeo periculosum molimen efficiunt, ut quivis Status cogitationem belli in prima radice suffocet. Omnes Status solum libertatem diligunt, Jus æstimant, bellum neutiquam; qua mente, cum omnes æqua & æquiformi gaudeant, quivis pacem turbare veretur, quæ Status intercedit, quæquo æquilibrium Culturæ nititur.

Hoc æquilibrium hac ætate turbatum est, Gallia prædominatur reliquis Statibus, in ratione Status, quod perspicaciam & vim discernendi attinet, reliquis eminet. Ingenii facultates Civitati præsent, ejusque negotia bello & pace moderantur. Gallia ea de causa præponderantia gaudet, quam usque sibi vin-

dicatura est, quo scientia, alacritas & merita in ea dignitatibus solum adnota fuerint. Quicumque publico mūneri admoveatur, ei gerendo par sit oportet; Conclamatum de ea Civitate, quæ meritum recipio mori & ambitui postponit, ut primum pugnam cum illis ingreditur, apud quas sola virtus ingeniumque viam ad honores patentem habet. Hanc doctrinam plurimi Status fastidierunt, quo facturo: ut pugnae, quam cum Gallia inierunt, succumberent. Ut primum vero ingenio soli & generositati litare coeperint, quam primum mentis cultæ, ingenii dotibus præditos, audentes & alacritatis plenos viros gerendis admoveant, tum vero Galliam & reliquos Status æquilibrium Culturae intercedet, quod universalem salutem promoturum, pacem tranquillitatemque firmaturum, Justitiam solio evecturum, Europæque libertatem securo loco collocaturum est.

Est aliud præterea Aequilibrium, quod in votis Continentalium Europæ Statuum grave motus ciet, puta *Maritimum* — Anglia id turbaverat, tum universale omnium marium Imperium sibi vindicat, *hic est Criterium*, in hoc cubat fons omnium hodiernorum bellorum.

At hodie quidam metus de universali in mari imperio apud Anglos suboriri videtur, etenim si omnibus bellis continentalibus finis impositus fuerit, ex parte Gallorum rursus excensionis suscipiendæ consilium inibitur.

Conjunctio portus Vlissingæ cum Galliis animos Politicorum Anglorum haud leviter

percellere debuit. Causa in aprico est. Scaldis unicum proximum, versus oram Angliæ procurrens flumen est, in quo naves Classis ad excensionem adjuvandam cogi possunt. Portus Vlissingæ ad ostia hujus fluminis situs, est optimus centralis locus pro Classe ampla adjuvandæ excensioni destinatæ; compertum adusque est: plurimas lineales & mediæ molis naves Antverpiæ structas esse — semper in brevissimæ in Angliam distantiae directione.

Hæc aliæque loci adjuncta magnam in Anglia pro futuro sollicitudinem excitare debuerunt; quid igitur egit, quidque agere debuit Anglicanum ministerium? Intendere & consecrare omnes vires ad amoliendam Gallicorum consiliorum stationem, proin ad eam demolendam. Hinc illa adeo ænunciata expeditio, hinc ille exercitus invincibilis, qui nunc expeditus, & qui Vlissingæ, Antverpiæ in summa: ostio Scaldis imminet.

Gallicæ Ephemerides de Insulis, partim ab Anglis impetitis, partim eorum impetitioni patentibus Selandiæ ad Ostia Scaldis seqv. docent,

„Quævis Selandiæ insulæ profunde jacens habent territorium, versus continentem æggeribus septæ, & contra impactus maris syribus & arenarum cumulis munitæ. Aggeres plerumque ad basim 45 pedes lati; duo curtus superne contigui procedere possunt. Prima aggerum in Selandia fundamenta 34 Tonnas Hollandicas (ultra 8 milliones libr.) constituerunt. Territorium artificiosis his vallibus con-

tentum, singulari gaudet fecunditate, sili-  
go & color tinctorius rubeus (Krapp) potissi-  
mum co'untur; excellunt pascuis, sed foca-  
lis ligni per omnes Insulas defectus est.

*Walchria* ab ortu occasum versus 4 ho-  
ras longa, paullo minus lata est. Middelbur-  
gum ante novissimas mutationes 15,000 Inco-  
las censebat. Demto Amstelodamo & Ro-  
terodamo præcipuus erat Commercialis Hol-  
landiæ locus. Canale Scaldi jurgitur.

*Vlissinga* urbs munita ad Ostia Scaldis  
occidentalis. Portus An. 1688 impensis Sta-  
tuum Selandiæ erectus 1700 perticas longus,  
200 latus, 30 linealium recipiendarum capax.  
Urbs 6—8000 solum Incolas habet. *Veera*  
multo minus munita quam Vlissinga ramo  
orientalis Scaldis insidet, prope ejus ostium.  
In hac Insula urbes minores: *Arnemuyde*,  
*Vestkappelle*, & *Dornburg*, cum munimento  
*Ramecens* ad defensionem portus Middelburg  
visuntur,

Insula *Zuyd Bevelandia* proxima & ele-  
gantissima omnium Insularum, versus orien-  
tem Valchriæ sita urbem habet *Goes*. Septem-  
trionem progrediendo, binasque minores In-  
sulas *Wolfersdyk*, & *Nord-Beveland*, quæ  
sæpe inundationibus infestantur, prætergre-  
diendo, Insulam *Schuwen* attingere licet, quæ  
annorum vicibus 2000 Cent. ligni tinct. ru-  
bri præbet. Urbs *Zirksee* commercio nobilis  
10,000 Incolas censet. Olim 70—100 naves  
mari habebat. Ins. *Duyveland* pene Insulam  
*Schouwen* contingit. Versus ortum ab ea Ins.

*Ter. Tolén* a Contiente aut Batava Brabantia angusto solo Canale secreta, præbetque optimam holland. Cannabis speciem.

In argumento adgressionis hujus regionis & Consiliis magnæ Expeditionis Ephemerides Londinenses de 28. Julii seqv. continent:

Nostri magna expeditio *quinis* constat *partibus*; forma constitutiva ejus diversa a quavis alia, quam Classes ex Anglia expeditæ habebant.

Officialibus præcipue specialia mandata data, 3 *Stationes* primum adgressionem subibunt. Unam earum Admiralis *Ottway* & *Sir Eyre Coote* adoriantur; hæc adgressio duplici ratione, prout ventus ab occasu vel austro flaverit, executioni dabitur, alteram adgredientur *Marchio de Huntley* & *Commodore Owen*, quam primam adgressionem futuram putamus, quod hujus successus navibus flumen adversus petendi occasionem daturus sit. Tertiam *Sir Joan. Hove* & *Capitaneus Plamvin* suscipient. Eventus hujus adgressionis quartæ Stationi occupandæ occasionem præbebit, cum cuncta ejus defendendæ subsidia elidat. Interea *Ill. Kerles* Admiralis, & *Lord Roszlin* subsidiarias Copias cum 5. agmine constituent. Ill. vero *Gardner* cum 4. parte Classis favorabilem stationem occupabit. Credimus, quod, si tempestates faverint, una harum partium hoc adhuc vespere destinationem suam affecutura sit.

*Parisiis die 11. Aug.* Hæsternus Monitor sequentia ex Hispania promulgabat:

Excell. D. Comes a Huneberg minister rei  
 bellicæ percepit nuncias ab Exo. D. Mares. Jour-  
 dan Gallicani exercitus in Hisp. Duce literas ;  
 quæ confirmant pacta de lasurgentibus hispanis  
 26. Jul. cum Portugallio-Anglicano exercitu con-  
 junctis, emolumenta. Die 27. Rex Hisp. gallicum  
 exercitum versus Albercham progredi jussit,  
 postquam Anglicanum præcursorium agmen ex  
 Cazalegas dispulisset. Tum eos coegit alteram  
 stationem in saltibus intra Talaveram & memo-  
 ratum fluvium deserere. Hæc præcursoria mili-  
 tis acriter semet defendit, at per primum agmen,  
 cui D. Mar. Dux Bellunensis præfuit, fusa est ;  
 plantis montium, cui læva Anglicani exer-  
 citus ala se acclinabat, & in qua ea se cir-  
 cumvallare videbatur, illico per partem primi  
 agminis insigni arte adprehensa est. Ingruens  
 nox stationem ibidem figere vetuit. Die 20.  
 exercitus hostilis, postquam dia alternante for-  
 tuna pugnatum esset, exacto pertinacissimo &  
 acerrimo prælio, non modo a planis montium ;  
 quos lævo cornu obsessos tenebat, depulsus,  
 sed & adactus est, Talavera & tota ejus linea  
 decedere. Exercitus Cæsareus noctem in lo-  
 co pugnae transegit. Portugallicum agmen  
 sub imperio Gen. Ducis *Wilson* usque Na-  
 val Carnero progressum, jam 26. Jul. se re-  
 cepit. Jactura ex parte hostium notabilis est.  
 Quævis nostræ legiones exceptis subsidiariis  
 proello intererant, territorii situs equitatum  
 inanem reddidit, de notabili hac victoria  
 uberiores relationes expectantur.